



XII
1495
52
ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ

CEREVISIÆ

SERVESTANÆ,

*Comparatione illius δωδεκαμύρου cum Nilo,
& nobilioribus quibusq; Germaniæ cerevisiis illu-
stratum,*

Adjectâ ad calcem carminis brevi refuta-
tione, cùm in specie Servestanæ, tum in ge-
nere omnium cerevisiarum iniquissi-
morum censorum:

In

• • • Illustri Soraborum Gymnasio, quod Servestæ,
• • • permissu Superiorum publicè
recitatum

à

• • • DANIELE BERCKRINGERO

• • • Ambergâ-Palæo-Palâtino Bôjo,

• • • sincer: Phil: Consecr:

d. 25. Junii,

ANNO

M. DC. XXIV.

SERVESTÆ

E Typographéo Zachariæ Dörfferi.

111

ELKIMIAETION

CERREVISIA

SEKVAETANAE

Corporatione illius subacta in curia Nro
& nobilitate subacta Germanis et ipse illa

Adiecta ad aliam Germanis breviter

tionem, cuius specie serventur, cum in ge-

tere ordinem celebrationem inquisi-

tionem celebrationem

la

Illiusi corporum Germanis, quod servetur,

perinde superiorum publicae

lectionem

PANITELPICKERINGERO

Antiqua, et alia Germanis

inquisi, et inquisi

inquisi, et inquisi

inquisi

inquisi, et inquisi

SEKVAETANAE

Typographo N. A. in Bonn.



Illustrissimis & Augustissimis

Principibus ac Dominis,

DN. CHRISTIANO SENIORI,

DN. CHRISTIANO JUNIORI,

Principibus Anhaltinis, Comitibus Ascanie, Do-

minis Serveste & Bernburgi, &c. Dominis

suis Clementissimis,

DI, quibus errantes amor est defendere cœtus,
Et tuto posuisse solo: *Portune vialis,*

Oebalida gemini, tuq; ô quæ tempus iniquis

Imperiis *Fortuna* regis, modò triste minaci

Corrugans frontem facie, modò læta vicissim

Ostendens placidi radiantia lumina vultus,

In constans levitate tuâ: huc, huc, eja, venite,

Christjano, Ascanie Comitû qui maximus ævo est,

Lætifico vultus habitu, dextrisq; jugatis,

Obvia ferte ora, ora age, age ô ferte obvia, ferte,

Illius & celebrate lares: jam voce vocatus

Multiplici ad patriam *Princeps Christjanus* it aulã,

Bernburgiq; pios, (postquam lætabilis ipsum

Reddidit hora suis,) natalia tecta, penates

Adspicit, haud aliã princeps dignissimus urbe.

Macte novis Dux ô laribus! Tua cymba petitem
Invehitur portum, fatorum adjuta favore,

Nec sævas hiemes, insurgentemq; furenti
Arætorum Borean Euro, scopulosq; minantes
Porro timet: fugiunt curæ, fugiuntq; labores,
Et requies quæsitâ subit. Nunc porrige frontem,
Et tristes tandem, tandem obliviscere casus,
Teq; tuæ Sorabûm da, *Dux Celsissime*, terræ.

Nonne vides, ut multa ruit Te amplexibus urgens
Ascanis, & docti lectissima pompa Lycæi?

Salve, ajunt, *salve*, *Dux Illustrissime*, *salve*,

Salve, ajunt: *Salve Princeps*, *salve* omnia densant.

Atq; ego; tot quondam mactatus honoribus abs Te,

Cùm tã multa meus Tibi debeat, *Optime Princeps*,

Progenitor, scenaq; piùm mentitus Joseph

Ipse tuæ (meminisse juvet.) præconia linguæ

Ambergæ tulerim, spes in conjectus opimas;

Non tua concelebrem redeuntis plausibus ora?

Concelebrabo equidem, quamvis mala fœmia cultæ

Ascanidos dicar, fucataq; larva Minervæ.

Salve, igitur, *Generose Heros*, *Dux InclYTE*, *Princeps*

Antiquæ Ascaniæ, *magnum Christjane Sacratu*

Imperii membrum, *lux & tutela bonorum*,

Splendida Teutonice telluris gloria salve.

Salve *justitiæ vindex*, *assertor honesti*,

Virtutis speculum, *pietatis imago paternæ*;

Præsidium Aonidum, *portus*, *spes*, *ancora*, *salve.*

Sed quia Serbensis divina charismata potus,

Ardua

Ardua molitus, majoraq; viribus ausus,
Adstricto numerisq; stylo, Mulaq; pedestri
Descripsi folerte operâ, claraq; sonorus
In Serveſtano recitavi voce Lycéo,
Hoc *Tibi* submittens epos, *Augustissime Princeps*,
Haud aliâ ratione valens gratariæ ullâ,
Dedico, Patroni Tu me dignare clientem
Præſidiis, tenuemq; boni, rogo, consule ſtrenam,
Erratisq; meis, ubi dormitavit Homerus,
Es facilis, cunctisq; parem non eſſe memento.

Nec, rogo, displiceat, dulcis quòd possidet hæres
Ipse levi tecum densæ de munere partem.

Scilicet ille *Tibi* se patri filius addens,
Te quoq; consortem non dedignatur honoris.
Præſidiis mea sub vestris ita Muſa recumbet,
Atq; patrociniò lætus gaudebo duorum.

Quod superest, *Generose Heros, Celsissime Princeps*,
Vive diu, multosq; dies cum Principe costâ,
Pignoribusq; tori, fatiſ melioribus usus,
Exige, tranquillæ & post mitia ſomnia mortis
Empyrii longum viyas cœli arce beatus.


Illustriss. Celsitud. Vestr.

Humillimus Cliens,

Daniel Berckringerus, junioris Pietipesk y,
Equitis Bohemi, Serveſtæ p.t. boni literis
operam navantis, Præceptor & Ephorus,

A 3

Ordior



Rdiior illa, quibus cœlo se gloria tollit
 Serveſtæ, Sorabūq; caput gens inclyta latè
 Exertat. *Da Musa decus memorare vetuſtæ*
Poſſe urbis, qualemq; ſuo coquat ubere Zythum,
Quotq; illum populis, ardenti ſidere Titan
Cum furit, & tellus radiis malè toſta debiſcit
Flammiferis, largo vendax communicet ære,
Ille polentares, (dictu mirabile!) parvo
Circuitu complexa domos tot, circiter anni
Sunt quot ab Aſcaniæ Comitum aſſertore perenni
Magnanimo Alberto, qui nomine præferus Urſi,
Nobilis hoc ortu, & ſpectatus triſtibus auſis,
Rumor ut it, Sorabis domitatis atq; Luſatis,
Pleumofios Belgasq; plagas invexit in haſce,
Prifcis antiquâ depulſis ſede colonis,
Uſq; ad præſenti dictantes tempore jura,
 Chriſtjanum, Auguſtū, Ludovicumq; & Caſimirū,
 Quattuor Aſcanidos dignè Comitesq; Ducesq;,
 Longa manet dulcis quos converſatio mundi,
 Seraq; cœlituum conſcribunt fata quietis
 Ordinibus, vanos niſi ſenſus augur Apollo,
 Et præſaga meam ludunt præcordia mentem.

Harum

Harum ergo causas rerum, Zythiq; latentem
Naturam, dotesq; pias, & cætera Zytho
Pœorum Cereris mysteria Servestanæ,
Fas aperire mihi, sacrasq; recludere cistas.

Jamq; adeò clari repetam primordia Zythi.

Albis Czechiacis caput altè montibus edens,

Inde vago tractu campos dispersus in imos,

Subjectas tenui percurrit gurgite valles.

Rivorum mox auctus aquis crescente tumescit

Cymothoe, mediusq; ruens per plana sudetum,

Navigerum pandit sinuoso flumine callem.

Multas ille arces, & promontoria, cumq;

Oppida castellis præter labentibus undis

Alluit, & vastis pulcherrima commoda terris

Importat, trabium spectes compendia, sive

Divite quos nutrit squamosos gurgite pisces.

Oceano tandem rapidis se accommodat undis,

Hamburgum celso quà tollit mœnia cælo.

Servestanam remeo, Veneres pro tempore nostras,

Quam mihi materiem descripsi carminis: illi

Interea ubertim bullantibus agmina lymphæ

Suppeditat venis, queis irrorantibus urbis

Viscera, & arte virum puteos subeuntibus imos,

Indeq; subductis, Cereriq; salubriter almæ

Affusis,

*Affusis, claudiq; fabri carbonibus ustis,
Excoquitur Zythus toto sapidissimus orbe.*

*Vulgatum, nec cassa fides, ni ritè meatus
Terrarum obstructi fuerint, aditusq; scatebris
Præclusus, solusq; admissus fontibus Albis,
Degenerem prisca Zythum virtutis, & ipso
Produci crassum duntaxat nomine curmi.*

*Tum super, haud omnes nullo discrimine fontes,
(Jure inter Cereris numeres mysteria sacra!)
Has prestare vices, hæc munera, quamlibet arctè
Commisî muris circumcludantur amœna
Urbis, & in dextras videantur tradere venas.*

*Atq; etiam locuples est experientia testis,
Tentatum, posse né bonum Lypareus heros
Translatis Zythum fontanis funderè lymphis:
Tentatum; sed leuà fuit fortuna labori.*

*Haçtenus ambrosii cecini primordia succi,
Protinus ejusdem raptim bellissima dona
Exequar, & mirum memorabo versibus almi
Ingenium Zythi, quo conciliante favorem
Terrigenum, & famam, nunc totum nobilis orbem
Pervolitat, non ulla timens obliuia Lethes.*

*Ergo dona tui, Cereris sacra Vesta, liquoris
Hæcce: Parethonio Nilo quòd $\delta\iota\varsigma$ $\delta\iota\alpha$ $\pi\alpha\sigma\omega\upsilon$*

Æmulus

Æmulus, ignotis consurgat fontibus, atq;
Natus arenosis terrarum nutriat ævum;
Irriguo steriles fœcundet gurgite matres;
Innocuus; seniumq; ferens; subdulcis; anaurus;
Primum limosus, crystallo clarior inde;
Ora levans potu, desideriumq; bibendi
Extinguens; claris natalibus; & Generisq;
Communis, Pharii præclaro imitamine Nili,
Qui rapido cursu mediis elapsus ab Austris,
Æstivæ patiens Zone, Cancrig; furentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Et vagus Ægyptum toto semel irrigat anno,
Divitiasq; suas, nullo discrimine census,
Limituumq; soli dispendat pauperis arvis.

Accingar, telamq; quasi Icariotida texam,
Ordine summa sequar positi vestigia textus.
Musa mihi vires renova, dum singula pando,
Inq; papyriferi penetro sacraria Nili,
Servestana Ceres paribus quem dotibus equat.

Principiò Nilus (sic credidit alta vetustas:)
Ἀκέφαλος, dubio vel certè nobilis ortu est.
Indicio veterum nobis proverbialia, Nili
Queis caput inquirat, qui vano industrius ausu.
Nilus in encausto Phaetonte calentibus oris

B

Exoritur

Exoritur, vel certè illinc oriundus habetur.

Nilus agros, steriles fœcundat flumine Nilus,
Nilus anus, nulli fluvio post ille ferendus.

Fam cunctis toto fluvio magis ecce saluber
Nilus in orbe, ferunt si vera Machaones, alti
Solis utramq; domum qui complent arte medendi.

Fert senium Nilus, defecatusq; valescat,
Serveturq; tribus, vel quattuor integer annis.

Dulce sapit. (Quæ causa, latet, videoq; sagaces
Naturæ mystas varia in divortia sensus
Distractos fluitare, & adhuc sub iudice litem.)

Haud balat, solusq; inter celeberrima terræ
Flumina non ullis superos obnubilat auris.

Limifer, ac intra paulò est lutulentior ætas,
Verùm fictilibus vasis exceptus, in imum
Turbida quatriduò demittit, Calliroesq;
Certat munditie lymphis, & gurgite puro.

Quin etiam Zythi defectu munia præstat
Illius, insolitos siccati gutturis æstus
Concessâ docilis defendere fluminis undâ.

Et Pelusiaco, si dignum credere, Nilo,
Prima igni cocti debentur munera Zythi.

Atq; etiam solitis exorbitat incrementis
Nilus, & effuso stagnantior æquore latè

Diditur

Diditur, ac pinguem sitientibus arduus arvis
Invectans limum, degentibus ocia priva
Agricolis Cererem prolixè spondet opimam.

Deniq; (quo claudam sacri miracula Nili,
Hactenus attonitis ad quæ omnis prisca vetustas
Sensibus obstupuit, nec vestigare profundam
Cunctorum potuit presens ad tempus abyssum:)
Tanta suis Nilus terrarum corpora lymphis,
Nunc omnes unum vires collectus in alveum,
Nunc vagus, & multis resolutior omnibus errans,
Metitur, nullus fluviorum quanta, nec ipse
Illyricis dominator aquis, tibi, Nile, secundus,
Ister, nec flexo sinuosus gurgite Rhenus.

Ut ne vos longâ serie per singula ducam
Heic miracula sacri tot, talia, tanta fluenti,
Hoc sat erit: Nilum fluviorum cuncta tueri,
Quæ reliqui fati secreti singula lege.

Hæc Nilus. Contrâ sed cuncta simillima Nilo
Servestana Ceres, Sorabis gratissimus haustus,
Possidet, arcani studiosior æmula Nili.

Namq;, ut quo cæpi procedam tramite: Nilus
Secreto de fonte cadit: Nec Servestana
Occultum natura caput quoq;, prodidit ulli
Hactenus, aut prodet, sed adhuc latet abditus ortus,
B 2 Versa-

*Versaturq; intra sacra penetralia Vestæ,
Ex Albirepetat Zytho primordia pœus.*

*Nilus in Athiopum migrantibus educat arvis
Flumina prima, diu sterilesq; emensus arenas,
Non ullum exustis damnum perpeffus in undis,
Prævebitur Phœbo fluitanti gurgitis amne.*

*Ecce autem, geminâ Zythus ratione vigorem
Acceptum ut siccis fert Selveftanus arenis!*

*Qui duris terræ, duris procreatus arenis,
Tanta suo civi tamen agmina sufficit unus,
Non secus, ac pinguis si natus in ubere glebæ
Effet, & irriguo manaret corpore terræ.*

Selveftam testor testem, quæ sedit arenis,

Totaq; vix ullâ pluviâ satiabilis aret,

Et tamen interea puteis tot læta triumphat,

Totius Ascanidos quot vix numerâ veris orbe.

Quinquaginta etenim, (Referenti crede poetæ,

Hoc lecture melos, qui, quæ nunc asserit, illa

Non fando accepit, vani aut rumoris ab usu,

Singula sed certis oculis aut opta notavit.)

Quinquaginta etenim solos Selvefta, bonarum

Larga ministrantes undarum flumina, civi

Admetitur aquæ putealis publica fontes,

Haud dubiè multos eadem privata datura,

Si

Si penetrare oculis penetrabilia priva liceret.

*Nilus continuo solis damnata vapore
Irrorat, mæstisq; salus animantibus extans,
Præclusam proli generanda præparat album.
Quid Servestanus, Serbensia munera, Zythus?
Nequius haud sequiusq; pias segetesq; nurusq;
Pollatas fœtasq; facit! Namq; agmine pleno
Accisos reditus, atq; attenuata Parentis
Magnæ, nummorum largâ ubertate reponit,
Quos Servesta sui post venditione liquoris
Cogit, & annonæ tanquam solatia servat;
Fœtificoq; ad eò Serbensis gurgite socrus,
Haustus, & in venas fœcundat diditus, ovo
Edi ter geminos geminosq; ut matris eodem,
Servestâ non sit res insignitior urbe.*

*Dicere credibili videor majora, fideq;
Ire viis ergo, ire juvet, juvet ire plateis,
Atq; puellorum denso glomeramine cœtus
Ilicet occurrent, effusa grandinis instar,
Sicq; fidem nostris facient sermonibus illi.*

*Jam cunctis toto fluvio magis ecce saluber
Nilus in orbe. Boni non dispar gloria Zychi
Servestensis. Eo nec enim sedatior ullus,
Qui calido nostræ naturæ junctus inermi,*

Convenienter alit, minimeq, hypochondria ledit,
Solutus ex Lymphæ, Cereris, Lupuliq; superstes
Natabus, longè mitissima pocla ministrat.
Fama est, & credo, nature sternere Zythum
Hunc cè viam, se vèq; pio tormenta labore
Lithiasis tacitâ virtute domare liquoris,
Usq; adeò lepræ pugnantes, protinus ipsam
Urbis ut exilio damnârit perpete. Testis
Felix, atq; iterum felix Servesta liquoris,
Quæ tristem hanc solo cognovit nomine pestem.
Persequar ulterius. Senium quoq; dulcibus undis
Nilus alit. Zythus quid jam Servestius, hujus
Degenerant tantæ Nili virtutis acescit?
Di meliora! ferat senium vel castius ipsis
Niliacis etiam lymphis, sit dummodo ritè
Vulcano excoctus, cellisq; repostus opacis.
Immo virtutis tam sit Serbensis Iacchus,
Eximia, reliquos inter (memorable!) Zythos
Unus ut ætatem ferat is diutissimus omnes.
Pleraq; Zythorum nam cum vix mensibus octo
Evaleant, senij doleantq; incommoda post-hinc,
Unicus hic multos incorruptissimus annos
Exigit, ac contra felix audentior ævum
Itat, & in vitis Clotho vult ducere fatis.

Dicitur

Dicere vera meam, nec consentanea falso,
Calliopen, vel clara pii testabitur aula
Principis Augusti, quae divertentibus ad se
Hospitibus Zythum, annorum bis, credo, viginti,
Præbuit, & cerasis pereunti prorogat ævum.
Ad Nilum redeo, tanta dulcedinis amnem,
Cæsar ut excubiis stationum Niliacarum,
Palmitè Nysæo quærentibus ora rigare,
Dixerit: Ab Nilum, vos belli fulmina, Nilum
Propter habetis, adhuc & vobis quæstio vinum est?
Cæsar ad excubias Pescennius hæc ita: quando
Rectius at nostris vini potoribus illud
Objicias: dulcem, Servestia pocula, Zythum
Urbe tenetis, adhuc & vobis potio vinum est?
Nam quid enim? Zythus nonne est Servestius ille
Prisco in deliciis memoratus tempore Nilus?
Ille quidem dulcis non est, ut nectar, & alnum
Hydromeli, mollis delinquent a palati:
Haud equidem infiteor: sed nec sic tristis, ut oxos,
Aut gustus vires occidens absinthites:
Indolis a se mediæ retinens, & utrinque reductus,
Nec nimio dulcore parit fastidia potus,
Ac nec amaritie fauces mitissimus exest,
Dote hæc vel solâ in censu rex ipse liquorum.

Nilus

Nilus anaurus adhuc. Et Servestana vicissim
Parte aliâ nullas expirat coctior auras.

Hoc dico: nullis supremam verticis arcem
Impugnat fumis, cerebri cum noxia mirè
Cetera membranis Zythorum pocla, vapore
Illa duo capitis specularia lucida nostri
Obscurent, cæcæq; premant caligine mentem.

Præterea limosus aquis Pharius quoq; Nilus,
Ast ita, seriolis figlinis haustus, ut imis

Turbida quatriduò deponat sedibus, exin
Claris Castalie clarae magis clarior undis.

Quid Servestanus, Pelusia munera, Nilus,
(Indigito Zythum,) nonne illapse indolis est vi?

Qui simulac coctus, Junonigenæq; labore
Defunctus, cupam jam frigidiusculus intrat,

Turbidus, & totus quàm limosissimus, illum
Transvases, cellisq; loces, sidentibus ultrò

Fecibus octiduò longè nitidissimus extet,

Usq; adeò fulgore recommendatus ab auri,

Vulgus ut inde bonæ tecmeria Servestanæ

Sumserit, & puro fusus vitreamine Zythus,

Nequior, ac ipso vitio vitiosior illi

Audiat ille, aurum malè qui mentibus, a vitii

Degener ardoris, representare colores

Heic

Heic alios aliosq; sibi fas esse putârît,
Debita nec dederit variatis lumina vitris.

Quin etiam Zythi defectu, munia Zythi
Nilus obit, rabidos siccati gutturis æstus
Frigidulâ placidi restinguens gurgitis undâ,
Uteriore siti, desiderioq; bibendi
Niliacam, domitis, ac primo fluminis haustu.

Bacche pater, Zythus Servestius, æmula Nili
Simia, quàm similis & in hâc quoq; simia parte!

Ille etenim pariter potis est incendia lingue
Ponere frigiduli vel parvâ parte liquoris,
Uteriore siti, desiderioq; bibendi

Servestense, simul labris valedicere iussis,
Maxima Zythorum quæ plerorumq; bonorum

Est hodie certè nostro hoc in tempore labes,
Qui magis quò poti magis magna incendia faucum,
Pravo conjugio Cereris lupuliq; , facessunt.

Jam Pelusiaco terræ Memphitidis amni
Prima etiam cocti debentur munera Bacchi:

Et Servestano quoq; pocla veterrima Zytho,
Vincenti reliquos claris natalibus omnes.

Ipsa suo Servesta sibi se hîc nomine pulchrè
Afferit, & Cereris Vestam (quâ voce latini
Indigitant terram vates,) se sua ve fatetur,

C

Cur?

Cur? nisi quòd princeps cum olim commercia matrè,
Nomine cuius orat, præ cunctis instituisset
Urbibus, hoc clarent zythhis quæ dulcibus ævo.
Annua porrò etiã capit agmina & augmina Nilus,
Queis tumidus tristes violenti gurgitis iras
Cum movet, Ægeo torrentior æquore fertur,
Excedensq; actas se latis explicat arvis.
Prestat idem zythbus non infeliciter idem.
Nam velut ante canis radios non suscitatur undas
Nilus, & undantem ripis haud alligat amnem
Ante parem nocti librâ sub iudice solem:
Sic temerè haud coquitur flammis, cellisq; redundat
Servestana prius, nigris quàm noctibus æquet
Libra dies, cursumq; prius nec sistit aquarum,
Quàm vagus attingat Nephelæia sidera Phœbus,
Temporaq; efficiat nocturnis æqua diurna
Aurato princeps aries in vellere fulgens.
Interea at medio labentis temporis actu
Tanta capit flammis domita incrementa quaternis
Mensibus, ut repleat pice ter duodena carentum
Millia vasorum, cellisq; reposta profundis,
Haud leviora suo præbet spectacula civi,
Quàm Nilus, tumido facilem sibi cedere ripam
Flumine transcendens, Phariæ telluris alumno.

Deniq;

Deniq, tanta suis terrarum corpora lymphis
Nilus obit, nullus fluviorum quanta, nec ipse
Ister, & Arctoo spumescens vortice Rhenus.
Urbe hâc Servestâ quis tam peregrinus & hospes,
Quem lateat, zythibus, Bacchi Cererisq, secundis
Numinibus, peragret quanta intervalla viarum?
Quàm latè excurrat? quae ex patietur in oras?
Pocula Palatinus, Pomeranus, pocula Bojus,
Pocula Saxo, Boruissus, Marchia, pocula Teucer,
Pocula Quadusq; petit. Te pocula, pocula poscit
Te Servesta, tui dulcis cui gratia zythi
Saltem nota parùm vel gustu nominis ipso.
Pocula bibunt terrae Proceres tua, pocula Dynastæ,
Pocula Electores, Reges, ac Induperator,
Papaq; Romanæ terrestris Jupiter aulae.

Proditur Aegypti, Philadelphum nomine, regem,
Cum natam Syrio Berenicem fortè tyranno
Despondisset, aquas immensis sumtibus illuc
Niliacas curâsse vehi, quò solius undis
Nili amnis vitam mulier produceret Assur.
Quid jam? Serbensem, Servestiam munera, Nilum,
Nonnè etiam summi magnates quiq, sat amplo
Natabus suntu, lecti socijsq, jugalis
Certatim prestare student, quò solius hujus

Ambro-

Ambrosia Nili nutritæ fortius ævum
Extendant, multamq; ferant in secula prolem?
Plura quidem possent, & convenientia dictis,
De Servedanæ natura, dotibus, ortu,
Ingenioq; dari, dicentium infantia ferret.
Ast non Mæoniæ remeet si gloria lingue,
Centenasq; pater det Phœbus rumpere voces,
Ullo condigni satis alite carminis unquam
Omnia commemorem tam casti præmia potus.
Hoc sat erit: Nilus fluviorum quomodo cuncta
Possideat, reliqui fati quæ singula lege;
Sic Servedanam Zythorum cuncta tueri,
Quæ reliqui surdi decreto singula fati.
Dulce sapit Racona Ceres; refrigerat Alba;
Alterat ingrato per amara Horrenda sapore
Ora gulamq; cadis stat frigida Gyrcoviensis
Ex siccas Sametz fauces Satecius urit,
Bœmia quinq; quibus fortunatissima Zythis,
Terra nec indocilis Cereri, nec inhospita Baccho,
Turgida jam multis attollit cornua seclis:
Attamen has omnes ita Servedana valore
Exuperat, cedat non ut dulcedine potus
Raconæ, longeq; super tenuissima perstet,
Quo Racona caret virtutis honore, genitrix

Pace



(Pace tua Bojeme tamen,) praelarga vaporum,
 Atq; parens crasse non infœcunda Minerva:
 Nec quoq; frigidula natura Gyrcoviensi,
 Qua Proceres, mediusq; Cechum grex, inscius acrem
 Ferre sitim, restinxerunt sitim furit, igneus ipsum
 Tunc ubi percussit rabioso Sirius astro;
 Aut, qua vulgus amat reliquum compescere sicci
 Gutturis ardores, gelida concesserit Albæ,
 Infantis ventrem, & stomacho intestina cientis
 Bella, Ceres vitio quo Servestana vacavit,
 Horrendâ tantò Czechicâ præstantior, atq;
 Sacensi Sametz hoc commendatior, ipsum
 Extremis quantò medium, mensura legende
 Virtutis, medijs vitiorum utrinq; reducti.
 Inter enim nimium medium transgressa parumq;
 Cum horrendum horrendo horrore Horrenda
 horreat horrens,
 Urgeat atq; suo Sametz Satecius igne,
 Caldior, & succo præpingui triste rubescens,
 Servestana modi tantò fervantior extans,
 Omne tulit punctum, extremis utrinq; relictis
 Incedens mediò longè tutissima calle.
 Commendant alias alie, variante coquendum
 Indole Neptuni, Cereris, Lupuliq; liquorem,

modis

C 3

Virtu-

*Virtutes. Bonitate valet Scheps, urbe Quadorum
Principe, cui Sclavi Trajectus nomina fecit,
Excoctus, blasis nectar prædulce Silefis:
Pollet amaritie gratâ Torgensis: Opimam
Gignit Dantiscum: Parnavia dulciter acrem,
Incaluisse probam, cum vires exerit: albam,
Sed fortem Alboræ stadium: Brunsviga caloris
Robora potantum tentantem pectore, amaro
Prævalidam succo: felix Amberga fodinis
Æris, & alnigero notissima Filsidos amni,
In quâ nos primùm vitales hâusimus auras,
Dulciculam, calidam, pingüẽ, rubicundulam: & uno
Omnes fasce: suum quoddam tenet omnis, eoq;
Non secus ac magni præclaro munere patris,
Non secus ac magnæ præclaro munere matris,
Oceanirerum fœcundi cunctisatoris,
Telluris, rerum fœcundæ cunctisatricis,
Turgescit: cunctis at, si contentio fiat,
Servestana Ceres, pol! prædominabitur una,
Una fluens ignotis fontibus; una & arenis
Profiliens siccis; fœcundans una; salubris
Una simul; durabilis una; suavis; ἀναγε; ;
Clara; siti perquam tumultandæ commoda; multis
Atque vetus seclis, & vadere nata per orbem.*

Talibus

Talibus ingenti sed Servestana favore
Fatorum donis cum sit decorata, caputq;
Tot laudum cumulis, & tot virtutibus alte
Conspicuum tollat, validos evadere dentes
Non tamen invidia valuit. Ruit ecce Borussus
Nescio quis medicus, clamatq; dysurica nectar
Servestense suo conflare pathemat a potu.
Adstrepit huic reliquum medicorum vulgus, & almi
Frigoris immodici coeptat damnare liquorem.

Phyllirides Chiron, Amythaone nate Melampe,
Asclepi, Podalyri, quodq; usquam mediocre est,
Vestram queso fidem! Lupuli sale coctus amico
Zythus an urinae ardores proritat, amabo,
Dicite. Sed dederim tibi proritare Borusse,
Ipsa tamen contra medicum Servesta loquetur,
Quae longè medici distans sermonibus illud
Adstruit, ex centum vix quattuor illius, ipsa
Arguitur cuius, vitii contagio teneri.

Haud moror ulterius: contra illos cornua verto,
Frigoris excessu queis infamare liquorem
Hunc stetit, acriculo scurrarum scilicet usis
Judicio, friget queis, quicquid parcius igni
Incaluit, solosq; probant qui mente sinistra
Zythos, qui densis cerebrum nidoribus opplent.

His

His ego : Quantumvis potu Serbensis lacchi
Corpora non caleant exardescant vè bibentum,
Intepuisse tamen, fieriq; nequire, salictis
Uit gaudente lupo cum sit conditus abundè,
Frigoris interea nativi mole prematur.

Atq; equidem extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham, & portu properem deponere navim,
Forsitan &, Zythum tollentes classe bonorum
Succorum, simili quadam ratione domarem.
Namque sub eximiis Eobani versibus Hefsi
Commemini legisse boni nunc nuper acerbam
Censuram Zythi: Bacchi Cererisq; sinistris
Numinibus coctum, & nervis cerebroq; nocentè,
Sæpè nimis foedæ producere semina lepræ.

Ipsè Didscorides, physeos haud sordibus autor,
Urinæ Zythum scribit causarier æstus,
Cynnameos teneris cum nervis lædere renes,
Lædere membranas cerebelli, gignere flatus,
Gignere pestiferam squamoso corpore lepram,
Esse mali succi, mala quod symptomata firment,

Hec illi. Contra mea sic Polyhymnia: si de
Archaicis Zythis capiantur dicta, videri
Condonanda viris: sin involvantur & illis
Nostrates, minimè, cum toto sidere nostri

Prin-

Principio Zythi antiquis dispere distent.
Neptunum veteres etenim Cereremq³ parentes
Tantum, nec lupuli bona condimenta salubris
Agnovère, probam cujus capit optima partem
Filia, quam nostris nutrimus in urbibus. Hesse,
I nunc, & morbos mentire Eobane malignos,
Zythorum veterum Zythi incommoda nostris
Transcribens, tantò priscos bonitate saporis
Vincentes, quantò non salsa cibaria salsa:
(Namq³ ferè Zythi lupulus salis exhibet usum.)
I nunc, & morbos mentire Eobane malignos,
Aut tibi nemo fidem quisquam mortalis habebit,
Aut te communis faxo experientia vincat,
Longè aliud nostris objectans sensibus, Hesus
Quam blaterat, dulci potus promulside Bacchi.
Ante Dioscorides, inquis, me fecit & ipse,
Censuraq³ gravi bis noxia pocula Zythi
Perculit, unde mihi censura exempla meae sunt.
Ac si diffitear. Medici quin noscere verba
Jam dudum videor: tantum distinguere vatem
Tempora temporibus jubeo, nec dicta vetustis
(Namq³ Dioscoridem tantum de tristibus e vi
Diseruisse sui Zythi, sanè inde patescit,
Accessit nostri quòd non confinia secli:)

D

Acces-

Zythis, in nostros, in fontia pocula, zythos
Vertere, distantes parafangis millibus illis.

HÆC super ambrosio succo, potuq; canebam,
Et super antiquâ Servestâ, luce sequente
Proxima Zachariæ floralia festa propheta,
Arvis quem solitum campestribus esse locustas,
Et vilem victum silvestria mandere mella,
Christias, heu mulsum decumanis funderet trullis
Suetâ, & Threiciam malè doctâ educere amystim,
Exprimit, ad Gyaros damnando deviamore.

Isto Parnassus me tempore dulcis alebat,
Incepti dubium. Subit mox gloria Zythi
Servestensis: eam menti cecinisse sedebat,
Ingenti thyrsos percussæ laudis honestæ.
Illa quidem cecinit, factoque ita sine quievit.

D I X I.



Ad

Ad Authorem amicissimum, carmen hoc vir-
gili studio elucubrantem.

Sobrius es, nec Te genuit natura bibacem,
Nec celebrem cythos evacuare virum.
Sobrius es, tenet ars, scio nam, Te nulla bibendi,
Et *virgo* est habilis Te superare scyphis.
Quis fit, quod *Bacchi* vires, quod numen honoras?
Quodq; tuo ad coelos carmine *poela* vehis?
Quæ Te de *Czechicis Cumæa* liquoribus? aut quis
Te vatum *Zythi* nomina nosse docet?
Quis tibi tot potus species, variumq; saporum
OEdipus experto rettulit ore, genus?
Experior facto, si dicis, in arte bibendi
Non jam postremus, sed mihi primus eris.
Sunt, dicis, madidi, queis cum conuersor, amici,
Illi ope scribentem consilioq; iuvant.
Vincor, es *helluo*, si *Baccho* associare, *luporum*
Confors, cum sociis ululat ille *lupis*.
Jam certè cyathis certas, *Ciceronis* in haustu
Æmulus, hem nobis *congius* alter eris.
Sed ludo, exemplis age, belli scriptor *Homerus*
Dardanidum, *Phrygi* non videt ora *Ducis*.
Nec Tu tot cellas, cellarum scriptor, & undas
Gens docilis variâ quas coquit arte, vides.

D 2

Sed

Sed studio quæris vigili, vigilisq; laboris
Exerces animum fedulitate tuum.
Perge, sed à cursu subito revocaris, iniquum
Lex putat hanc *Bacchi* tollere laude facem,
Ingens est numerus cauponum, laudibus implet
Si *Zythum*, numerus, quod scio, major erit.
Ebrietas cunctis per Te florebit in oris
Mensq; tuum probris sobria lædet opus.
Ludo, sed ingeniti quæ sit natura saporis
Ebria non *nimio* proluere ora, doces.
Sic age, *Serveste* quæ sit fortuna, parandi
Quod studium, potum quæ quoq; cura bonū.
Ingenium eximio sic nobilitabis honore,
Nam grave censetur dulce *Maronis* opus.
Præmia nec deerunt, si pocula fortè requiris,
Dic, *Servestano* rore repleta dabunt.

αὐτότατος

apposuit

Andreas Aquinas Radonicio

Bohemus p. r. in illust. Gymnasio

Anhaltino, quod est Serveste.

FINIS.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







Farbkarte #13

B.I.G.



1495

IKON

LSIÆ

ANÆ,

αποίεω cum Nilo,
ania cerevisis illu-

nis brevis refuta-
stanae, tum in ge-
am iniquissi-
n:

o, quod Servestæ,
publicè

RINGERO

atino Bojo,
nsecr:

v.

aria Dörfferi.

